# GVIDI VBALDI E' MARCHIONIBVS MONTIS

# DE ECCLESIASTICI CALENDARII RESTITVTIONE OPVSCVLVM.

*PISAVRI*
*Apud Hieronymum Concordiam,*
*M. D. LXXX.*
Superiorum concessu.

# AD FRANCISCVM MARIAM II. VRBINATVM AMPLISSIMVM DVCEM.

## GVIDVS VBALDVS E' MARCHIONIBVS MONTIS. S.

DE Eccleſiaſtici Calendarij in priſtinum ſtatum reſtitutione, deq; reſurrectionis Domini noſtri IESV CHRISTI ſtatuenda die, quid ipſe quoquè ſentiam (AMPLISSIME PRINCEPS) à te proponere iuſſus, propriam ſententiam quàm breuiſsimè potero, in medium afferam. Ego quidem munus hoc, non tamen exigui laboris, vt prima fronte voluminis paruitate quàm plurimis fortaſſè

videri posset, haud quaquàm subire nolui; nihil enim iucundius mihi vnquàm cōtingere poterit, quàm tua iussa capessere. fore autem confido, vt si quādo tui nominis quippiam minùs dignū (nunquàm enim rebus hisce Ecclesiasticis incubuj) ex me hoc tempore acceperis, benignè, humaniterq;, vt soles, me excusatum habeas. Quandoquidem eo consilio duci malui, vt tibi, à cuius nutu recedere nec debeo vnquàm, nec volo, pro viribus obtemperem; quàm segniter, negligenterq; deuitando abnuere. Quare omissis interim aliorum hac in re sententijs, (neque enim præclarium virorum, præsertimq; Aloysij Lilij placita mihi tuo nomine delata, in præsentia perpendere decreui; aliorum enim sit huiusmodi munus; eorumq; prçcipuè, quibus hçc fuerit demandata prouincia) statim ad rem ipsam me conferam. In hoc itaq; negocio absoluendo, duo hçc mihi visa sunt præcipuè obseruanda. Alterum est, vt quæ tot actis iam antè seculis à summis Pontificibus, sacrisque Concilijs ob Pas-

chatis

chatis celebrationem determinata fuerunt, retineantur prorsus, atq; seruentur. vt huiusce nimirùm solemnitatis tempus ex Solis, Lunęq; cursibus hauriatur: & prima die dominica post primam Lunę quartam decimam, cùm iam Sol Arietis initium attigerit, sanctum Pascha celebretur. Alterum verò (cui summoperè est inuigilandum) vt, quamuis Calendarij restitutio Astronomię peritiam expostulet, ita tamen restituatur, vt eius postmodùm vsus cuilibet etiam Astronomię ignaro facillimè pateat. Vt viri ecclesiastici (quorum maxima pars à studio Astronomiæ abhorret) non cogantur hac de causa Astronomię operam nauare: vel sępe sæpius Astronomos cōsulere. Quare totius negocij summa meo quidem iudicio in hoc est constituta; vt Calendarium faciliori, quoad fieri possit via, ac ordine disponatur; errorésq; hactenus oborti (si tamen errores dicendi sunt) facili, & expedita methodo emendentur.

PASCHA Sacrosanctum ritè celebrari consueuit Dominica die à quartadecima Lunæ, quæ statim sequitur ęqnoctiũ vernum; quod quidem nostris temporibus ſępenumerò non contingit. Cuius ſanè rei illud in cauſa eſſe videtur; quoniam adhuc Eccleſia obſeruat tùm æquinoctium vernum, tùm aureum numerum eccleſiaſticis Calendarijs pro nouilunij oſtenſione adſcriptum iuxta ſtatutum patrum, eorumq́; pręcipuè, qui Conſilio Niceno interfuerunt. Occurrebat enim tũc tẽporis æquinoctium XII. Calend. April. quòd quidem nunc circiter V. idus Martij contingit: ita vt iam ad decem dies præcedentes retroceſſerit. Lunationes verò ab illis diebus ad noſtra vſque tempora dies quatuor ſimiliter anticiparint. Cùm itaque tùm æquinoctio verno, tùm motui Lunæ ſuſcepti negocij ſumma, tanquàm duobus fundamentis pręcipuè innitatur; erit quidem primò conſiderandum, an æquinoctij ſedes firmanda ſit, ſicuti nunc ſe ſe habet; nempè die vn-

deci-

decimo Martij; aut transferenda, vel ad vigesimum primum, quemadmodũ in Nicena Synodo fuit determinatum; tuncq́; decẽ dies erunt auferendi; vel ad vigesimũ quintum eiusdem mensis; sicuti fuit tempore Domini Nostri IESV CHRISTI, auferendo quatuordecim dies. Si prior modus admittatur; quamuis ob æquinoctij positionem maxima statim sese offert facilitas, siquidem non essent tunc auferendi, neque dies decem, neque quatuordecim; quia tamen sępè contingeret, vt Pascha celebrandum foret tùm infrà vndecimum, & vigesimum primũ diem Martij; quod certè iam antea numq̃ cõtigisset; tùm sępè etiam inter duodecimũ, & decimumseptimum eiusdem mẽsis inclusiuè; quoties verò hoc eueniret, toties Dominica Septuagesimę intra octauã Epiphanię occurreret: iccircò huiusmodi determinatio prorsus mihi omittenda videtur; nè diuinorum officiorum quotidiana celebratio, quę in Ecclesia maximi est momenti, confundatur; Breuiariumq́ue, tùm vetus, tùm nuper reformatum

tum diminutum videatur. Quapropter vt hoc euitemus, æquinoctium aut ad vigesimũ primũ, aut ad vigesimũ quintum reducere congruum erit, potiùs tamen ad vigesimum quintũ, quàm ad vigesimum primũ firma adhuc remanẽte Niceni cõcilij determinatione; quòd Pascha celebrari debeat die Dominica post quartam decimã Lunæ, quę statim sequitur æquinoctium vernum. quod XII. Calend. April. tunc temporis reperiebatur, neque enim propterea si æquinoctium ad VIII. Calend. April. reducatur, ipsius Concilij spernitur determinatio; etenim scopus illorum patrum hic pręcipuus fuisse videtur, vt nimirùm dies Paschalis ex prima quartadecima Lunę post ęquinoctium vernum eliceretur: ita vt non ex Luna tantùm, vel ex ęquinoctio duntaxat, sed ex vtrisq; simul tempus celebrandi Pascha habeatur, & hoc fuerit perpetuò obseruandum; non quòd ęquinoctium sit semper futurum die vigesimoprimo Martij. neq; enim existimandũ est, quin patres illi, pręsertimq; pręstantissimi illius tempo-

ris

ris Aſtronomi optimè cognouerint, ęqui-noctium non eſſe perpetuò permanſurũ ſub die vigeſimo primo Martij. Cùm enim cognouiſſent, quòd à tẽpore Domini noſtri IESV CHRISTI vſq; ad illa tempora retroceſſerat æquinoctiũ interuallo aliquot dierum; proculdubiò illos haud quaq̃ ignaros fuiſſe credendum eſt fore, vt in poſterum idipſum quoq; contingat. Hoc ergo nõ fuit præceptum ab ipſis ſtatutum, vt æquinoctium illo prorſus die vigeſimo primo ſeruaretur. Fuiſſet enim hoc Soli pręcipiendum: illud tamen ideò ſtatuerunt illo die, quia tunc ſic erat expediens: quandoquidem æquinoctiũ occurrebat die vigeſimoprimo: quòd ſi alio die contigiſſet; aliter quoq; ipſum ſtatuiſſe illos exiſtimandum eſt. quippè quos, vel remedium, nè ampliùs retrocederet adhibuiſſe (quod fortaſſè deſideratur) cenſendum eſt; vel poſteris, quid ſit faciendùm, ſecundùm tẽporum opportunitatẽ reliquiſſe. Qua propter ſi ſummus Pontifex nunc pręciperet, vt die Dominica poſt quartamdecimam Lunę, quę

B diem

diem vndecimũ Martij ſequitur, in quo nunc æquinoctium reperitur, celebraretur Paſcha; nihilominùs ipſius Concilij decretum ſeruaretur;ac firmum,ſtabileq́; pręceptum permaneret :quemadmodum neque pręfata Synodus( vt legitur ) in ſua determinatione nihil noui inſtituit,quãuis æquinoctium, quod tempore Saluatoris noſtri ad VIII. Cal. April. extiterat, ipſa ad XII. Calend. eiuſdem terminauerit. Neque enim vigeſimus primus, vel alius Martij dies vllum in ſe ſolemnitatis myſterium continere videtur, niſi ratione æquinoctij tali,vel tali die contingentis; ita nimirùm, vt non æquinoctium per diem, ſed dies per æquinoctium ſit in celebratione Paſchatis obſeruãdus.Quarè quandocunq́; cõtingat ęquinoctium, canon celebrandi Paſcha à pręfato Concilio inſtitutus, poteſt inuiolabiliter obſeruari. Immò ſi nũc Eccleſia huius Concilij veſtigia ſequi deſiderat; oportet, vt ęquinoctium ſtatuat, quo die nunc reperitur; nempè vndecimo Martij. quoniam tunc temporis eo die æquinoctium ſtatuerunt

tuerunt, quo cõtingebat; nimirùm vigesimo primo Martij. Cęterum si statuatur die vndecimo, Ecclesię, vt iam ostendimus, nõ esset satis congruum: quòd si ab hoc die remouendum fuerit, oportunius erit illud ad VIII. Calen. April, quàm ad XII. Cal. eiusdem redigere: tùm quia hęc restitutio nullam hominibus nouitatem afferet; siquidem inter VII. Cal. April. & VI. Calend. Maij ferè semper celebrabitur Pascha; sicuti nunc quoque obseruatur; & raró quidem, vixque hunc terminum excedet; tùm quia in celebrandis diuinis officijs pręcipuè dierum Dominicalium altera saltem dies Dominica, in qua de nuptijs legitur, semper post octauam Epiphanię occurret: quod quidem existente ęquinoctio ad diem vigesimum primum non continget semper. Deindè erit hoc conuenientissimum, etenim non solùm dies festiui mobiles, quorum causa firmandum est Calendarium, in pristinam sedem restituerentur; verùm etiam fixi ijsdem prorsus diebus, atq; temporibus celebrarentur; quemadmodum

antiquitùs fieri consueuerat. quòd si Saluator noster VIII. Cal. April. quandò erat æquinoctium vernum incarnari voluit, vt passim habetur; quid amplius restat inquirendum, cùm facta huiusmodi restitutione, rectè hęc omnia inuicem conueniant? Et ob hanc causam si diei alicui Martij aliqua tribuenda est solemnitas; huic potiùs, quàm alteri attribui consonum videtur. Non me latent aliorum opiniones, tùm quòd vnicuiq; mensium proprium tribuatur Zodiaci signum; veluti Aprili Aries, Maio Taurus, atque ita deinceps; tùm alijs modis; qui sanè magnum ingenij acumen pręseferunt; rectèq́ue essent excogitata hęc ipsorum inuenta; si Calendarium nunc denuò esset simpliciter instituẽdum. Verùm quia in pręsentia non agitur de institutione Calendarij, sed de restitutione; deq́ue hac non simpliciter, sed respectu Ecclesię, ac festorum celebrandorum; idcircò mihi videntur omittenda; tùm quia festa pręcipuè stabilia, neq; secundùm tempora Saluatoris nostri, neq; secundũ Ecclesię consuetu-

ſuetudinẽ celebrarentur; tùm etiam quia vnicuique menſi integrum ad vnguem non poteſt tribui Zodiaci ſignum. Neque verò hæc noſtra æquinoctij reductio ad VIII. Cal. April. quempiam turbare debet:propterea quòd aliquandò,& ſi raro feſtum S. Marci in hebdomada maiori continget; feſtum verò Apoſtolorum Philippi,& Iacobi in feſtis Paſchatis; nec non feſtum SS. Petri,& Pauli in die corporis Chriſti, & in ſequenti; quemadmodum nunc occurrit feſtiuitas natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ. Nam in his celebrandis, quandò euenient, iam in rubricis generalibus Breuiarij, quid ſit agendum, abundè ſatis prouiſum eſt.

VT autem æquinoctium ad VIII. Cal. April. reſtituatur, cùm hoc tempore ſit ęquinoctium circa vndecimum diem Martij, auferendi erunt quatuordecim dies: qui quidem facillimè (ni fallor) ſimul omnes auferentur ab aliquo menſe. Hac tamen pręcipuè habita animaduerſione, vt hic menſis non cadat inter principium Aduentus, ac feſtum Corporis

Christi; vt distantię festorum mobilium, quę semper inter hæc tempora existunt, non confundantur, vel transferantur. Quarè à principio Iulij vsquè ad finem Octobris id cōmodè fieri poterit. Commodiùs verò adhuc mense Octobris fiet. Primùm quia eo mense (vt in Breuiario nuper reformato apparet) decem tantùm dies pro Sanctis, duęque vigilię existunt; Dominicęq; Octobris auferendę non sunt priuilegiatę. Nequè ex ablatione harum duarum Dominicarum, quę in quatuordecim diebus reperiuntur, vlla continget in celebrandis officijs diuinis perturbatio. nam Dominicę à Pentecoste vsq; ad Aduentū, inter quas Dominicę Octobris adnumerantur, aliquandò plures, nō nunquàm verò pauciores existunt. Deindè, quia October propinquior est anni termino, cùm duo tantùm menses supersint pro anni complemento. Si itaq; statuatur, vt October semel tantùm obtineat septendecim dies in quibus, & commemorationes Sanctorum, vigilięq; rectè disponentur, & celebrabuntur; sitque

dies

dies decimus ſeptimus vigilia omnium Sanctorum; tunc loco diei decimi octaui Octobris collocetur initium Nouembris; ſtatim hac lege æquinoctium à v. idus Martij ad VIII. Cal. April. erit reſtitutum. Dies enim vndecimus Martij vigeſimus quintus eiuſdē ſtatim euadet. & quot horis nunc Sol poſt diem decimum Martij Arietem ingreditur; totidem poſt vigeſimum quartum idem Zodiaci punctum attinget. Ac propterea propter annos, tùm cōmunes, tùm biſſextiles continget æquinoctium die vigeſimo quinto, & vigeſimo quarto; quemadmodum die vndecimo, & decimo nūc euenit. Quòd ſi æquinoctium more Aſtronomorum ad horas poſt meridiem reducere voluerimus; quoniam his noſtris temporibus manifeſtum eſt illud nono, vel decimo Martij die contingere; ſi, vt dictum eſt, reſtituatur; vigeſimo tertio, & vigeſimo quarto die eiuſdem menſis continget. & ex huiuſmodi reſtitutione nullum incōmodum oriri conſtabit. Primùm enim nulla continget in Calen-

dario

dario litterarum Dominicalium mutatio: quandoquidem & dies decimus octauus Octobris, primusque Nouembris semper simili feria contingunt. vt si alter occurrit feria secunda, itidem quoq; alter feria secũda; si tertia, tertia; atq; ita in alijs. Preterea, (& est consideratione dignum) quàmuis peruertatur ordo aurei numeri illius anni, in quo fiet hęc dierum ablatio; cùm aureus numerus illius anni vsq; ad diem decimum septimum Octobris tantùm pertingat; non autem pro reliquo anni complemento deseruire possit; quoniam tamen hoc accidet solùm mensibus Nouembris, & Decembris; hoc certè nullius erit momenti; quia Lunationes horum mensium nihil ad Ecclesiam attinent: ac propterea absque incommodo aureus numerus dictorum mensium sine vlla sui mentione prętermitti poterit: atq; ideo huiusmodi quatuordecim dierum ablatio nullam difficultatẽ, nullamq; viris Ecclesiasticis perturbationem afferet. Cęterum posset quidem hęc quatuordecim dierum ablatio alio quoq; anni tempore

pore

pore fieri; putà à vigesimo sexto die Martij vsquè ad decimum Aprilis: quo tempore nullum festum, nequè duplex, nequè semiduplex, & nequè simplex occurrit. Quod si ita factum fuerit, hoc tempore perturbabitur aureus numerus; præcipuèque eo tempore, quo Pascha quæritur: etenim ex aureo numero illius anni tẽpus celebrandi Pascha minimè forsan elici poterit. Prçterea aliqua oriretur confusio in Quadragesima, & in transferendo Paschate, alijsque sequentibus festiuitatibus mobilibus: quod quidem viris ecclesiasticis non mediocrem pareret difficultatem. Quapropter conuenientiùs mihi videtur, si modo iam dicto huiusmodi restitutio fiat; cùm nulla prorsus oriatur difficultas. Hac itaquè ratione, quàm citissimè, facillimeque çquinoctiũ restituetur. Verùm si hanc restitutionem pluribus annis complendam assumpserimus; tunc certè non solùm Calendarium multis inuolutum erit ambagibus; verùm etiam, tùm quç ad publica negocia, tùm quç ad supputationes astro-

logicas, preſertim Efemeridum ſpectant, prolixitate temporis, quę hominum mentibus maximum tædium, atque moleſtiam allatura foret, non ſine magnis laboribus aptarentur. Quarè, quòd facilè, & expeditè, breuique tempore fieri poteſt; in longum, nec ſine aliqua difficultate haud quaquàm eſt differendum. Quando igitur ſancitum fuerit ęquinoctium reducendum fore ad VIII. Calen. April. vt quæ dicta ſunt, ob oculos habeantur, October ita poterit accomodari.

# OCTOBER ANNI EMENDANDI.

| Aureus num. | | | |
|---|---|---|---|
| II | A Kal. | 1 | Remigii episcopi, & confess. |
| X | b VI Non. | 2 | |
| | c V | 3 | Franc. confessoris. duplex. |
| XVIII | d IIII | 4 | S. Marci pp. & conf. & com. SS. Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apuleii mart. |
| VII | e III | 5 | Dionysii, Rustici, & Eleuteri martyrum, semiduplex. |
| | f Pridie No. | 6 | |
| XV | g Nonis | 7 | Calisti Papæ, & martyris semiduplex. |
| IIII | A VIII Idus | 8 | Lucæ Euangelistæ duplex. |
| | b VII | 9 | |
| XII | c VI | 10 | Hilarionis Abbatis, & comm. S. Vrsulæ, & sociarum virgin. & mart. |
| I | d V | 11 | |
| | e IIII | 12 | Chrysanti, & Dariæ mart. |
| VIIII | f III | 13 | Euaristi Papæ, & mart. |
| | g Pridie Idus | 14 | Vigilia. |
| XVII | A Idibus | 15 | Simonis, & Iudæ Apost. dup. |
| VI | b III Kal. | 16 | |
| | c Pridie Kal. | 17 | Vigilia. |

## NOVEMBER.

| | | | |
|---|---|---|---|
| I | d Kal. | 1 | Festum omnium Sanctorum duplex. |

Quoniam autem in hac emẽdatione, (vti diximus) cycli decemnouẽnalis ordo peruertitur; idcircò in ſequenti tabula quatuor adnotauimus horum cyclorum ſeries; in quarum prima eſt aureus numerus anni emendandi; cuius vſus à Ianuario vſquè ad Kalend. Nouembris protenditur. in reliquo autem anni tempore, quàmuis aureus numerus duorum menſium ſequentium, Nouembris ſcilicet, & Decembris prætermitti poſsit, vt dictum eſt; eum tamen collocauimus in ſecunda ſerie; quippè qui è regione primo reſpondet. Tertia verò ſeries eodem ordine aureum oſtendet numerum anni annum emendatum immediatè ſequentis; dummodò aureus numerus ſit in Calendario, vt nunc in Calendarijs nouis reperitur; vt ſcilicet Cal. Ianuarij xviiij exiſtat. Quia verò in hac emendatione poſſet Calendarium reſtitui, vt fuit tempore Domini noſtri IESV CHRISTI, vt nimirùm Calen. Ianuarij ponatur vnitas, vt à Iulio Cęſare ordinatũ fuit; idcircò in quarta ſerie aderit aureus numerus

merus primi anni post annum emendatum, existente aureo numero ita dispo-sito.

| *Cyclus Decennoualis anni emendandi.* | *Aureus numerus mensium Nouembris, & Decembris anni emẽdandi.* | *Cyclus anni, qui immediatè sequitur annũ emendatum, existente aureo numero in Cal. vt reperitur.* | *Cyclus anni immediatè sequẽtis annum emendatum existẽte aur. num. in Cal. vt fuit tempore Domini nostri Iesu Christi.* |
|---|---|---|---|
| 1 | 16 | 17 | 18 |
| 2 | 17 | 18 | 19 |
| 3 | 18 | 19 | 1 |
| 4 | 19 | 1 | 2 |
| 5 | 1 | 2 | 3 |
| 6 | 2 | 3 | 4 |
| 7 | 3 | 4 | 5 |
| 8 | 4 | 5 | 6 |
| 9 | 5 | 6 | 7 |
| 10 | 6 | 7 | 8 |
| 11 | 7 | 8 | 9 |
| 12 | 8 | 9 | 10 |
| 13 | 9 | 10 | 11 |
| 14 | 10 | 11 | 12 |
| 15 | 11 | 12 | 13 |
| 16 | 12 | 13 | 14 |
| 17 | 13 | 14 | 15 |
| 18 | 14 | 15 | 16 |
| 19 | 15 | 16 | 17 |

Quàmuis autem hæc omnia ſint ſatis manifeſta, exemplo tamen adhuc magis eluceſcent; vt ſi aureus numerus anni, à quo auferendi ſunt quatuordecim dies, fuerit decem; inueſtigetur hic in prima ſerie; iſte autem eo anno tantùm vſq; ad diem decimū ſeptimū Octobris deſeruiet; qui eſt finis illius menſis. In reliquo autem anni tempore, hoc eſt pro menſibus Nouembris, & Decembris in ſecunda ſerie erit aureus numerus ſex, qui è regione reſpondet ipſi decem. anno autem completo aureus numerus anni ſequentis in tertia ſerie erit ſeptem; qui erit radix ſequentium, exiſtente cyclo, vt nunc reperitur in Calendario. Quòd ſi cyclus in Calendario priſtinam haberet diſpoſitionem, ita vt Calendis Ianuarij adſcripta eſſet vnitas; tunc aureus numerus primi anni pòſt emendatum eſſet octo; ſecundi verò nouem; tertij decem; &c. Hoc autem ideò contingit, quoniam exiſtente aureo numero anni emendandi decem, tunc coniunctio media luminarium eſſet ſecunda die

Octobris

Octobris, qui si haberet dies xxxi. (vt solet) coniunctio sequens in Calendis Nouembris contingeret. Quoniam autem à toto tempore intercepto inter has coniunctiones eximuntur quatuordecim dies; idcircò hæc coniunctio, quæ fuisset Calend. Nouembris, ad xvii.Cal. Decembris eueniet; cui respondet sex pro aureo numero. Cognito autem aureo numero annum terminante, nempè sex; perspicuum est anni sequentis aureum numerum esse septem; cui in Calendario à Iulio Cesare disposito respondet octo. Possumus adhuc alijs modis aureum numerum anno post emendatum sequenti tribuere; primùm (vt in eodem exemplo persistam) si anni emendandi aureus numerus sit decem, ita Cyclum ipsum in Calendario accomodare poterimus, vt sequentis post ipsum aureus numerus sit vndecim; nè ordo Cycli, seriesque interrumpatur; sed ordine procedat. Cùm præcipuè posimus aureum numerum Nouembris, & Decembris, qui quidem esset sex, absq;

vllo

vllo incommodo prętermittere, vt antea dictum fuit. Alter verò modus erit, si Cyclus decemnouennalis ita in Calendario aptetur, vt suum exordium post annum restitutum sit vnitas; quę erit principium, & tanquàm radix sequentium. Quæ quidem omnia facili negocio absoluentur.

DETERMINATO æquinoctio, nè iterùm, atque iterùm in pristinos errores, ac peiores labi contingat; duo precipuè occurrunt consideranda. quorum alterum est, vt inuestigemus, quo modo æquinoctium ita stabilire valeamus, vt semper vnam, eamdemq́ue sedem obtineat; à statutaq́ue die minimè recedere posit. Alterum verò, qua via luminarium congressus in posterum sint perquirendi. Sintq́ue hæc, vel astronomicarum supputationum auxilio conficienda; vel alia methodo faciliori, & communiori. Nisi enim ijs ita constituendis occurramus; æquinoctium non solùm

ad

ad vndecimum Martij diem reuertetur; verùm etiam in Februarium, postea Ianuarium, Decembrem; atque ita deinceps recurret. Cùm vnius intercalatio diei à Iulio Cęsare quolibet quarto anno instituta, & hucusquè obseruata, efficere nequeat, quin Solis in Arietem ingressus statutam diem paulatim pręueniat. quandoquidem annus vsualis 365. diebus, & quarta diei parte conflatus, veram, & adęquatam anni quantitatem excedit; quemadmodum plurimę Astronomorum exactę supputationes apertissimè ostendunt, vertentem annum diebus 365. ac diei quadrante minorem constituentes. Et quamuis diuersę de certa anni quantitate peritissimorum virorum extiterint sententię, & aliquo modo interse dissentire videantur; in hoc tamen conueniunt, vt certa anni quantitas minori temporis spatio, quàm vt passim obseruari solet, compleatur: quę quidem opinionum diuersitas ab ecliptica octauę sphęrę, & ab ecliptica superiori suum (ni fallor) deducet ortum. Propterea

D quòd

quod varijs modis, diuersisque temporibus considerate, ac obseruatę fuerunt. ex quibus nonnulli etiam animaduerterunt, annum quandoquè maximum, quandoquè medium, quandoquè minimum existere. Cęterùm huiusmodi inquisitiones omittantur, nè à proposito instituto diuertamus. Cùm pręsertim Ecclesia iuxta eius consuetudinem Astronomorum minutias, atq; subtilitates missas faciat; & quo die æquinoctium contingat, luminariumque coniunctiones, & oppositiones medias sit ipsi nouisse satis. nequè hac de causa horas, horarumuè momenta, sed tantùm dies integros spectet. Quòd si nobis iuxta Ecclesię consuetudinem incedere visum fuerit, id facilè consequi posse confido duplici huic regulę inhęrentes; quarum altera æquinoctium (annis, vt ita dicam, communibus) die vigesimo quinto Martij firmetur; altera verò luminarium congressus medij facilè inueniantur; quippè quę, tùm Ecclesię satis congruę, & proficuę, tùm maximam commoditatem, & facilitatem

tatem viris Ecclesiasticis, omnibusque Christianis afferent. Quòd si æquinoctium, luminariumque oppositio, quę interdùm propè æquinoctium continget, non erunt ita exquisitè determinata, vt diligentissimis supputationibus respondeant; id sanè nullius fermè, vel certè exigui erit momenti; nam si ad prętérita tempora respexerimus, Ecclesiam hęc exactè minimè obseruasse comperiemus; immò multis, ac diuersis modis sanctum Pascha celebratum fuisse inueniemus. Nam post Saluatoris ascensionem Apostoli Iudęorum more Pascha obseruarunt, eo nempè die ipsum celebrantes, quo contingebat quarta decima Lunę primi mensis, veluti postea Asiani sanctum Pascha celebrarunt; propterea quòd ita ab Apostolis Ioanne, & Philippo edocti fuerunt. Nonnulli verò (vt in historijs legitur) Paschatis festum, non quidem vt mobile, sed vt stabile coluerunt; quandoquidem in Asia Montani, nec nō Galli, atque etiam Tuscij semper Pascha celebrarunt VIII. Cal. April. Alij verò

initium anni ab eodem VIII. Cal. ſumentes obſeruarunt Paſcha quartodecimo die poſt VIII. Calen. April; qui quidem contingebat VII. Idus April. quartæ decimę Lunę veſtigium ferè inſequentes. Deinceps in memoriam reſurrectionis Saluatoris celebratum fuit Paſcha die Dominica. Vndè à ſummis Pontificibus, & à Concilio Niceno determinatũ fuit, vt Paſcha celebraretur die Dominica, quę ſtatim primam quartam decimam Lunę ſequitur, quę poſt ęquinoctium vernum contingit. ſicuti poſtea vniuerſaliter obſeruatum fuit. Nequè in tot varietatibus exiſtimãdum eſt, errorem unquàm fuiſſe cõmiſſum; quin potiùs Deum Opt. Max. in Paſchate celebrando tot permiſiſſe varietates, vt cognoſcamus, nos non ita ſtricto iuri, exquiſitęque motuum Cęleſtium obſeruationi in hac celebratione addictos eſſe, vt fuerunt Iudęi, ſanè quandò à Moyſe Paſchatis feſtum traditum fuit. Hęc enim ipſorum obſeruantia in cęna Domini noſtri IESV CHRISTI, eiuſq; morte, & reſurrectione ceſſauit; veluti alię

ipſorum

ipsorum illius legis cęremonię ante Saluatorem gestę. Verùm nos non amplius iudaizamus, sed Pascha celebramus in memoriam rei gestę, nempè resurrectionis Domini, qui die Dominica resurrexit. Et nè cum Iudęis cõmune aliquid (pręcipuè Pascha) celebraremus, sancitum fuit, si quartadecima Lunę contingeret die Dominica, vt ipsa die à nobis non ageretur festum, vt Iudęi; sed hęc celebratio transferretur ad octauam: vndè à quarta decima vsquè ad vigesimamprimam Lunæ Pascha celebrari oportet. Quoniam autem biduo ante Pascha fit commemoratio passionis Domini nostri; idcircò nunquàm assentirem prętermittendam omnino esse luminarium considerationem. Propterea quòd si Lunę quarta decima prætermitteretur, cõtingere posset aliquandò in hebdomada maiori, ac feria sexta eclipsis Solis; & quamuis deliquium Solis tempore passionis Domini verè fuerit supra naturę ordinem, atque vires; quod autem nostris contingeret tẽporibus, esset secundùm naturam; atta-

men facilè præberetur occaſio infidelibus, prǽſertim Iudęis exiſtimandi, quòd ſi progreſſu temporis ea die Solis eclipſis contingeret, naturalem quoquè, & non miraculoſam fuiſſe eam, quæ tempore paſsionis Saluatoris noſtri contigit; quod certè euitandum eſſe tutius duxerim. Motuum itaquè luminarium ſufficiens conſideratio eſt admodùm conuenientiſsima. non ita quidem, vt adamuſsim Aſtronomicis regulis cum ſuis minutijs huiuſmodi motus conſiderentur; vt multis viſum eſt. Habemus enim exemplum ipſius Eccleſiæ, quæ tot centenis annis tranſactis exquiſitam æquinoctij, Lunęq; conſiderationem prętermiſit; ac parui fecit: cùm ęquinoctium circa diem vndecimum Martij contingat, quod quidem Eccleſia ita ſupponit, ac ſi vigeſimo primo die adeſſet: Lunęque quartã decimã non primam poſt ęquinoctium, at ſecundam multoties ſumpſerit. Sat enim Eccleſię videri debet, nè vnquàm in hebdomada maiori eclipſis Solis contingere poſsit. Nec ꝓpterea aſſerendum erit, ſanctum

ctum Pascha tot annis iam elapsis malè in Ecclesia celebratum fuisse; hoc certè esset temerarium. Quarè poterit Ecclesia absq; exquisita motuum cælestium consideratione rectè sanctum Pascha ad antiquissimorum tẽporum normam restituere; dummodò ęquinoctium, luminariumq; aspectus quadam certa regula perscrutentur; ita vt nunc quoquè, veluti etiam multis iam antè actis seculis Ecclesia pro sua Astronomia littera tantùm Dominicali, & aureo numero vtatur.

VT igitur æquinoctium aliqua regula vigesimo quinto die Martij statuatur, cõsiderandum est quanto temporis spatio inter alterum, atq; alterum Solis in Arietem ingressum dies integra intercipiatur. Quod vt inueniamus, ob annorum inæqualitatem communi quadam regula (qua pingui etiã minerua vti poterimus) opus erit. Cùm itaquè constet Solem à tempore Saluatoris vsquè ad nostra tempora in constituendo æquinoctio verno quatuordecim dies pręcessisse; si annos Domini decurrentes diuiserimus per 108.

pro quotiente quatuordecim habebimus; anni verò, qui superſunt, facilè omitti poterunt: tùm quia iam multi lapſi ſunt anni, quibus æquinoctium eodem die Martij contingit; tùm quia minimam, immò nullam afferunt differentiam ſenſibilem. Quarè, ſi in poſterum pręter cõſuetam, & vulgatam intercalationem quartoquoq; anno faciendam; quilibet 108. annus, qui ex ſua natura biſsextilis eſſet, communis, & abſq; intercalatione reddatur; pculdubiò æquinoctium, quod hoc toto temporis ſpatio diem anticipaſſet; in priſtina, & determinata ſede per maneret. Quarè ſi quantitatem anni ab Aſtronomis poſitam conſiderare voluerimus, probabilior eſſe ſententia Albategnij, quàm aliorum fortaſſè videbitur; qui annum 365. diebus conſtare, & amplius diei parte centeſima aſſeruit. Vt Paulus Epiſcopus Foroſempronienſis in ſuæ Paulinę prima parte teſtatur. quamuis nonnulli, & forſan rectiùs, æquinoctium ſecundùm Albategnij opinionem 106. annis diem anticipare ſentiant.

Cùm

Cùm itaquè ob annorum differentiam impoſsibile ſit, exactiſsimam anni quantitatē determinare; cùmq́ue minima exiſtat differentia annorum ſex, vel octo, quę inter 100. & 106. 108. exiſtit, poterit Eccleſia omiſsis ſex, vel octo annis, centeſimum quemque annum, qui etiam biſſextilis exiſteret, communem efficere. nam multos plurimoſq́; cētenos fluere oportet annos, antequàm æquinoctium per diem integrum à ſua ſede amoueatur. Verùm vt propria ſententia magis reddatur conſpicua, obſeruandum eſt, quòd ſi fiet Calendarij reſtitutio, putà anno 1584, vel alio ante 1600. nollem propterea, vt fiat poſtea intercalationis omiſsio āno 1684, & 1784. &c. quin potius mallem hanc differri vſquè ad integra annorum centenaria. vt nimirum intercalationis omiſsio ſemper fiat ſingulis annis centenis; vt 1700. 1800. atque ita deinceps. nam cùm ſimus propè annum 1600. quandocunq; ante hoc tempus fiat anni reſtiturio, reliqui anni vſq; ad 1600. abſq; vlla mutatione in ipſis facta tranſigi poterunt. ita vt

annus 1600. sit bissextilis, cùm præcedentes nullam prorsus sensibilem varietatem efficere queant. anniq; 1700. 1800. & reliqui centeni erunt satis ad hanc rem idonei. homines enim propter ipsorum integritatem, atque excellentiam, ac propter Iubileum in ipsis contingentem, hãc intercalationem quibuslibet centenis prę termittendam rectè, facilèq; memoriæ mandare, atque retinere poterunt. & hoc modo facilè æquinoctium sua perpetuabit sede. vel saltem in longissimum tempus abibit.

Cæterùm in hac æquatione aliqua oritur difficultas, propter cyclum scilicet solarem ab Ecclesia per litteras Dominicales designatum. Nam, cùm sit quilibet annus centesimus ex sui natura bissextilis, cui duę debentur litterę Dominicales; quilibet verò annus centesimus ob firmandam sedem æquinoctij cõmunis sit euasurus, harum sanè litterarũ ordo tunc peruertetur; cui quidem difficultati, vt res ipsa expostulat, primùm hac ratione satisfaciendo occurremus.

Dispo-

| | |
|---|---|
| A | 1 |
| g | 2 |
| f | 3 |
| ed | 4 |
| c | 5 |
| b | 6 |
| A | 7 |
| gf | 8 |
| e | 9 |
| d | 10 |
| c | 11 |
| bA | 12 |
| g | 13 |
| f | 14 |
| e | 15 |
| dc | 16 |
| b | 17 |
| A | 18 |
| g | 19 |
| fe | 20 |
| d | 21 |
| c | 22 |
| b | 23 |
| Ag | 24 |
| f | 25 |
| e | 26 |
| d | 27 |
| cb | 28 |

Diſpoſito cyclo completo litterarum, vt in Breuiarijs, miſſalibuſq; fieri ſolet, qui ad numerum vigeſimum octauum duntaxat ſe extendit; proponatur aliquis annus centeſimus, vt 1700. cui, cùm ex ſua natura ſit biſſextilis, binæ forent tribuendę litterę; nempè g f. quę 8. numero reſpondent. prior quidem, nempè g initio anni vſquè ad S. Matthiam deſeruiret; f verò reliquo anni tempori. At verò quoniam hic annus 1700. debet eſſe communis, & non biſſextilis, clarum eſt primam tantùm litteram, g ſcilicet, toti anno aſcribendam fore. Vndè ſequenti anno 1701. f pro littera Dominicali tribuenda erit. quia verò annus 1701. eſt tanquàm, ſi eſſet primus poſt biſextum; idcircò in cyclo litterarum quęrenda eſt

littera f quę prima sit post geminas litteras bissextum ostendentes: quam quidem numero 25. respondere comperiemus; & hæc erit radix sequentium litterarum vsque ad alterum centenarium: atque id ipsum fiet in alijs centenis. Cuius quidem ratio est, quia Ecclesia non nominat diem intercalationis eodem nomine, quo Latini fecerunt; qui, quamuis Februario addatur vnus dies, tàm pręcedentem, quàm additum eodem nomine nuncuparunt, scilicet bis sexto Cal. Martij; à quo annus bissextilis dictus fuit. Ecclesia verò tametsi in anno bissextili tàm vltimum, quàm penultimum diem Februarij eodem nomine nuncuparet, vt putà vigesimum octauum Februarij; tamen ad euitandam confusionem nõ esset satis. nam oporteret etiam bis eodem nomine eundem diem vocitare, eâdem que littera significare; vt si dies vigesimus octauus Febr. contingeret die Martis, etiam vigesimus nonus eiusdem Martis nomine nuncupandus esset: quod si tamen ita fieret, alterum adhuc sequeretur incom-

incommodum quòad ordinem Ecclesię; cùm ordinem celebrandi diuina officia per octauas dispofuerit; tunc enim si idē, atque alter dies bis eodem nomine nuncuparetur, eâdemque littera in Calendario vtrique inseruiret; quàmuis eadem littera Dominicalis sequentem diem Dominicam, veluti pręcedentem ostenderet; tamen sequens illa dies non Dominica, sed verè esset dies Lunæ; & hæc altera Martis; atque ita deinceps; vnusque dies in alterum transmigraret; quod quidem contingit ob dierum nomenclaturam à nobis, & à Latinis diuersimodè positam: Latini enim mensem in Calendas, Nonas, & Idus distribuunt, nostri verò in hebdomadas, hebdomadę verò in dies septem, quorum vnusquisque suum habet nomen à Planetis desumptum: ac propterea necesse est, hanc huic litterarum cyclo anomaliam cōtingere; quippè quę si rectè perpendatur, parui certè est momenti.

Neq; verò prętereundum est, paucis ex ijs, quę dicta sunt, mutatis, nos harum litterarum cyclum exarare posse, in quo nul

la

la continget perplexio. Diximus quemlibet annum. 100. ex bissextili communem fore conficiendum; nunc ab anno 100. demantur tantùm quatuor anni; & quilibet 96. annus post bissextilem emendatum ex bissextili fiat communis, vt in sequenti tabula apparet; anno verò 97. post restitutum rursus tribuatur prima littera huius tabulę, tunc cyclo nullum afferetur incommodum; in qua quidem tabula nos exempli gratia ab A littera initium sumpsimus; cùm tamen secundùm quamlibet aliam, pro vt res ipsa expostulauerit, incipere commodè poterimus.

# CYCLVS
## Litterarum Dominicalium.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A | 1 | f | 25 | d | 49 | b | 73 |
| g | 2 | e | 26 | c | 50 | A | 74 |
| f | 3 | d | 27 | b | 51 | g | 75 |
| ed | 4 biſſ. | cb | 28 biſſ. | Ag | 52 biſſ. | fe | 76 biſſ. |
| c | 5 | A | 29 | f | 53 | d | 77 |
| b | 6 | g | 30 | e | 54 | c | 78 |
| A | 7 | f | 31 | d | 55 | b | 79 |
| gf | 8 biſſ. | ed | 32 biſſ. | cb | 56 biſſ. | Ag | 80 biſſ. |
| e | 9 | c | 33 | A | 57 | f | 81 |
| d | 10 | b | 34 | g | 58 | e | 82 |
| c | 11 | A | 35 | f | 59 | d | 83 |
| bA | 12 biſſ. | gf | 36 biſſ. | ed | 60 biſſ. | cb | 84 biſſ. |
| g | 13 | e | 37 | c | 61 | A | 85 |
| f | 14 | d | 38 | b | 62 | g | 86 |
| e | 15 | c | 39 | A | 63 | f | 87 |
| dc | 16 biſſ. | bA | 40 biſſ. | gf | 64 biſſ. | ed | 88 biſſ. |
| b | 17 | g | 41 | e | 65 | c | 89 |
| A | 18 | f | 42 | d | 66 | b | 90 |
| g | 19 | e | 43 | c | 67 | A | 91 |
| fe | 20 biſſ. | dc | 44 biſſ. | bA | 68 biſſ. | gf | 92 biſſ. |
| d | 21 | b | 45 | g | 69 | e | 93 |
| c | 22 | A | 46 | f | 70 | d | 94 |
| b | 23 | g | 47 | e | 71 | c | 95 |
| Ag | 24 biſſ. | fe | 48 biſſ. | dc | 72 biſſ. | b | 96 cõis. |

Quamuis

Quamuis tamen hac regula, qua præcipitur intercalatio post annum emendatum quibuslibet 96. annis facienda, multis interim annis æquinoctium determinata die contingeret; nolim tamen, vt à nostris centenarijs supra expositis presentem regulam, tanquàm hac alia tutiorem, & faciliorem ammoueamus; & nè cyclus litterarum Dominicalium interrumpatur, eiusque ordo peruertatur, hęc norma, regulaque dari poterit.

| |
|---|
| G |
| F |
| E |
| D |
| C |
| B |
| A |

Exponantur itaquè septem tantùm litterę ordine retrogrado, vt fieri solet; quæ Dominicales appellantur; proponaturq; aliquis annus, quo, si communis erit, vnica tantùm littera per integrũ annum Dominicas dies indicabit: vt 1582. g. si verò fuerit bissextilis, duabus iuxta se positis Dominicę significabũtur; vt 1584. e d; quarum prima e vsquè ad S. Matthiam suum prestabit officium; reliquo autem anni tempore d. Ac ꝑpterea 1585.

littera

littera Dominicalis erit c; atque ita deinceps, ſemper communi anno vnam tantummodò tribuendo litteram, biſſextili verò duas. & ſi prima biſſextilis eſſet A; ſecunda à S. Matthia erit g: & hoc modo nunquàm peruertetur ordo. nam anni 1700. littera Dominicalis erit g, quæ (hoc eodem anno communi effecto) toti anno deſeruiet; f verò 1701. biſſextili autem 1704. duæ deſeruient c b; atque ita in alijs: hacque ratione harum litterarum cyclo nihil difficultatis aderit; & hęc regula apprimè cōuenit cum ea, quæ iam poſita eſt in Calendarijs Eccleſiaſticis in fine menſis Februarij in conſtituendis litteris Dominicalibus anno biſſextili. Verùm dicet aliquis cyclum hunc aliquo modo diminutum exiſtere; nàm litterarum cycli in Breuiarijs diſpoſiti non ſolùm litteram Dominicalem, verùm etiam quandò annus, vel communis, vel biſſextilis exiſtit, indicant: huncq; oſtendunt litterę geminatę: quod quidem noſter cyclus ſeptem tantùm litterarum numero cōflatus præſtare nequit. Verum quidem

hoc est; huiusmodi tamen cyclum ita dispoſuimus, vt in his intercalationibus nulla difficultas, perplexiouè oriatur. Quod enim ſpectat ad cognoſcendum biſſextum, dari poteſt regula breuis, atque vulgata; vt ſcilicet anni propoſiti diuidantur per quatuor, & ſi diuiſio integra conſurgit, nihilque remaneat, tunc annus propoſitus erit biſſextilis. & cùm hæc regula ſit vulgatiſsima, exemplo id aperire prętereo. Quoniam autem non omnes homines diuiſionis artem callent, ponatur hæc regula, nempè vt temporis propoſiti, atque in annos diſtributi, primò relinquantur omnes centeni, ſi extiterint; annorum verò numerus ſuperſtes bifariam diuidatur, ſubdiuidaturque; qui, ſi diuiſio, ac ſubdiuiſio abſque integri numeri fractione contigerit, annus erit biſſextilis. vt ſi 1584. relictis 1500. diuidatur 84. in duas partes æquales, erit alterutra pars 42. qui numerus ſimiliter ſi rurſus bifariam diuidatur, ad 21. diuiſio terminabitur: quia igitur in hac diuiſione, atque ſubdiuiſione nulla contingit

fractio

fractio propterea pronunciabimus annum 1584. esse bissextile; quòd si propositum fuerit 1585, quoniam medietas ipsius 85 est 42 $\frac{1}{2}$; statim apparet ob fractionem $\frac{1}{2}$ annum 1585. communem fore; quemadmodũ 1586: nam quamuis medietas 86 sit 43; quia verò medietas ipsius 43 est 21 $\frac{1}{2}$; ideò cõmunis existet. & hęc regula ob sui facilitatem mente tantùm absque calamo absolui potest. Vt verò rem hanc adhuc clariùs perspiciamus, pro annis tàm communibus, quàm bissextilibus subiectam hanc tabellam exarare poterimus; quæ tamen hac tantùm indiget regula; nempè vt annorum ꝓpositorum, si opus fuerit, omnes centenarij reiciantur; vt in superiori, proximaque regula diximus; inueniaturquè in hac tabula numerus relictus, qui, si in prima serie reperitur, erit primus post bissextum transactum, tertius verò ante bissextum futurum: vt proprius cuiusq; titulus declarat; si verò in secunda, secundus tam antè, quàm post bissextum existet; in tertia verò tertius erit post pręteritum, primus

verò antè bisse-xtum futurum; quòd si reperitur in quarta serie, erit bissextilis. vt gratia exempli 1592. quoniam 92. relictis 1500. est in quarta serie, erit bissextilis. 1789. erit primus post bissextum, tertius verò antè bissextum futurum. 1682. secundus post bissextum, & antè bissextū. 1591. tertius post prȩteritum, primus verò antè bissextum futurum. Hæc itaquè impressa tabella ad iúgi poterit Breuiariis,

*Tabula annorum communium, & bissextilium.*

| *Anni primi post biss. tertii verò antè biss.* | *Anni secundi antè, & post bissext.* | *Anni tertii post biss. primi verò antè biss.* | *Anni bissextiles.* |
|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 |
| 5 | 6 | 7 | 8 |
| 9 | 10 | 11 | 12 |
| 13 | 14 | 15 | 16 |
| 17 | 18 | 19 | 20 |
| 21 | 22 | 23 | 24 |
| 25 | 26 | 27 | 28 |
| 29 | 30 | 31 | 32 |
| 33 | 34 | 35 | 36 |
| 37 | 38 | 39 | 40 |
| 41 | 42 | 43 | 44 |
| 45 | 46 | 47 | 48 |
| 49 | 50 | 51 | 52 |
| 53 | 54 | 55 | 56 |
| 57 | 58 | 59 | 60 |
| 61 | 62 | 63 | 64 |
| 65 | 66 | 67 | 68 |
| 69 | 70 | 71 | 72 |
| 73 | 74 | 75 | 76 |
| 77 | 78 | 79 | 80 |
| 81 | 82 | 83 | 84 |
| 85 | 86 | 87 | 88 |
| 89 | 90 | 91 | 92 |
| 93 | 94 | 95 | 96 |
| 97 | 98 | 99 | |
| 100 *Communis.* | | | |

uiarijs, & Missalibus vná cum cyclo septem tantùm litterarum iam exposito; hacq; ratione nulla in litteris vnquàm perplexio continget; omnesque in hac perpetua tabula annos, tùm communes, tùm bissextiles agnoscent; semperque antè oculos habebunt annum quemque 100 communem esse futurum: ex quibus maxima non solùm orietur commoditas, & facilitas in his perpetuandis, verùm etiam si quandò post multos, plurimosque annos continget, vt ęquinoctium per diem integrum à sua sede recedat; facillimum quippè erit, & absque vllo negocio illud idem in pristinum restituere. Nam si statutum tempus antecesserit, vnica tantùm prętermissa in quolibet anno bissextili intercalatione, cui vnica tantùm littera Dominicalis deseruiet; ritè fiet restitutio. si verò postposuerit, tunc (idque semel duntaxat) aliquis annus communis efficiatur bissextilis, cui duę tribuantur litterę Dominicales; deindè fluant anni, vt dictum est; & denuò facta erit integra restitutio. & nequè tabulę, nequè cyclo se-

ptem litterarum vlla prorſus continget perplexio, atque confuſio.

RESTAT nunc pro complemento huius negocij, vt perſcrutemur, qua ratione, quauè methodo inueſtigandi ſint luminarium congreſſus. & quoniam (vt priùs etiam dictum fuit) Eccleſia abſq; ſupputationibus Aſtrologicis id cōmodè efficere poteſt; proindè coniunctiones, oppoſitioneſque luminarium mediæ rectè vſui eſſe poterunt; iuxta veterem Eccleſię conſuetudinem, duplici nimirùm ratione eas inueſtigando; quarum altera eſt aurei numeri, altera verò Epactę. Quarum quidē prior (ni fallor) conuenientior viris Eccleſiaſticis, maioremq; ipſius facilitatem afferre mihi viſa eſt; nam, quàmuis Epactę regula ſit facilis, facilius tamen eſt inſpicere Calendarium, & vnico intuitu ſtatim absque alia operatione diem cuiuslibet coniunctionis luminarium cognoſcere, ſicuti aurei numeri beneficio conſequimur,

quimur, quàm prolixioribus regulis, longioriq; operatione easdem inuenire. qui quidem aureus numerus in Calendario rectè dispositus ad multos annos absque alia regula optimè suo fungitur munere; cùm inter eosdem aspectus annis 19. con similibus diebus succeſsiuè reuertentes, nulla existat alia differentia, quàm vnius, fermeq; dimidię horę. Quoniam autem hęc differentia (vt Astronomi norunt) annis 304. efficit, vt Luna suos cùm Sole aspectus per diem integrum anticipet; ideò necessarium est aureo numero aliquod afferre auxilium, vt quandò opus fuerit, per diem anticipatum luminarium congressus ostēndere poſsit; atque ita deinceps perpetuò. Quoniam verò ob firmandam sedem æquinoctij quolibet 100. anno opus est intercalationem omittere, vt pręfati sumus; ex qua omiſsione coniunctionum dies forsitan variari poſſent; & antequàm ad 304. annos perueniant, suam accelararent anticipationem: propterea inuestigandum est, qua ratione his accidētibus sit occurrendum;

& quam-

& quamuis alicuius æquatę regulę adminiculo id effici posset, vt scilicet aureus numerus in Calendario dispositus diem coniunctionum in posterum ostendere posset; quoniam tamen non omnibus fortasse satisfacere posset ꝓpter eius vsus inexperientiam (non enim me latet, omnes huiusmodi regulas, quàm plurimis aliquam difficultatem allaturas; propterea quòd his vnumquemque vti sæpè sępius oporteret, quotiescunq; aliquis coniunctionis cuiusq; tempus noscere desideraret) idcircò huiusmodi æquationes prętermittere decreui. Quapropter vt aureus numerus rectè, ac facilè suum posit pręstare officium, mihi magis placeret, vt quibuslibet centenis annis, quibus intercalatio foret omittenda, summus Pontifex cuidam perito hanc ipsam demandaret prouinciam, nimirùm vt supputaret, an aureus numerus annis 100. futuris deseruire posset, nec nè. Quippè qui, si adhibita diligentia inueniret eum indigere correctione; tunc summi auctoritate Pontificis eum in Calendario emenda-

ret

ret; quo restituto denuò noui imprimantur Calendarij; dummodò in qualibet restitutione nunquàm interrumpatur series, & ordo aurei numeri; vt si aureus numerus anni 1700 erit 10 in restitutione ita aureus numerus aptetur, vt 11 posśit 1701 deseruire. Nec verò nos turbet, quod antea monuimus, anno post emendatum sequenti multis nos modis aureum numerum accipere posse; nam quocunque modo sit facta restitutio aurei numeri post annum emendatum, eodem modo quicunque contingat aureus numerus anno 1700. (vt in eodem exemplo persistam) vt putá 13; tunc oportet, vt ita fiat hæc restitutio, vt aureus numerus 1701 sit 14. atque ita in alijs. Nequè hęc restitutio, aut potiùs consideratio centesimo quoquè anno adhibenda, nimis frequenter futura videri debet; dictu quidem forsitan frequens videbitur; factu verò rariśsima erit; & nunquàm vni, atq; eidem bis id continget; siquidem distantia à centesimo anno ad altérum centesimum excedit communem hominum

ætatem. Cęterùm alia quoquè methodo hanc aurei numeri restitutionem poterimus quibuslibet centenis annis accomodare; si prorsus omnibus primis annis post centesimos, vt 1701, 1801, ac similibus, semper pro aureo numero tribuatur vnitas; vndè maxima oriretur facilitas, atque commoditas; semper enim leui admodùm negocio propositi anni aureus numerus innotescet: imprimisque hac regula, vt nimirùm labentium annorum primùm omittantur omnes centenarij, qui verò supersunt, per 19 partiantur, & qui relinquitur numerus, erit ille, quem inuenire proposueramus: quòd si nihil supererit, erit 19. vt 1780, relictis 1700, diuidatur 80 per 19, & quia relinquuntur 4, erit idcircò 4 aureus numerus anni 1780. atque ita pari ratione annorum 1880, 1980, & aliorum huiusmodi. propositi verò anni 1876 similiter relictis 1800, quoniam si diuidatur 76 per 19 nihil remanet, erit 19 aureus numerus 1876, velutì etiam 1776, 1976, & cęterorum. Est tamen obseruandū, quòd si numerus,

merus, relictis centenis, minor fuerit, quàm 19, vel ipsi æqualis; tunc idem numerus aureum illius anni ostendet numerum, vt annorum 1707, 1807, &c, erit aureus numerus 7. At verò quoniam nonnullis similes regulæ, quamuis omninò faciles, aliquam tamẽ afferre videntur difficultatem; ad maiorem adhuc facilitatem hanc subiecimus tabellam, in qua cuiuslibet anni propositi aureus numerus statim patefiet; in húc videlicet modum; vt labentium annorum, reiectis centenis, superstites inueniantur in tabula sub titulo annorum, aureus verò numerus in eadem serie dispositus sub titulo aurei numeri erit ille quęsitus.

| TABVLA Inueniendi Aureum numerum. | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Aureus numerus. | Anni. | | | | | |
| I | 1 | 20 | 39 | 58 | 77 | 96 |
| II | 2 | 21 | 40 | 59 | 78 | 97 |
| III | 3 | 22 | 41 | 60 | 79 | 98 |
| IIII | 4 | 23 | 42 | 61 | 80 | 99 |
| V | 5 | 24 | 43 | 62 | 81 | 100 |
| VI | 6 | 25 | 44 | 63 | 82 | |
| VII | 7 | 26 | 45 | 64 | 83 | |
| VIII | 8 | 27 | 46 | 65 | 84 | |
| IX | 9 | 28 | 47 | 66 | 85 | |
| X | 10 | 29 | 48 | 67 | 86 | |
| XI | 11 | 30 | 49 | 68 | 87 | |
| XII | 12 | 31 | 50 | 69 | 88 | |
| XIII | 13 | 32 | 51 | 70 | 89 | |
| XIIII | 14 | 33 | 52 | 71 | 90 | |
| XV | 15 | 34 | 53 | 72 | 91 | |
| XVI | 16 | 35 | 54 | 73 | 92 | |
| XVII | 17 | 36 | 55 | 74 | 93 | |
| XVIII | 18 | 37 | 56 | 75 | 94 | |
| XIX | 19 | 38 | 57 | 76 | 95 | |

Exempli gratia aureus numerus anni 1731 erit 12, eò quòd 12. (relictis 1700) ipsi 31 respondet; in eademq́; est serie; hacque ratione vnico intuitu absq; alia operatione annorum futurorũ omnium aurei numeri statim innotescent. dixi quidẽ omnium futurorum, quia in hac tabula reperitur etiam aureus numerus presentium annorum hac nostra tempestate decurren-

rentium; ſiquidem 1580 eſt 4; 1581 5, atq; ita vſquè ad annum 1600, poſt quem deindè ſi in Calendario reſtituatur aureus numerus ita, vt annus 1601 pro aureo numero vnitatem habeat; hac ſanè ratione tabula hęc omnibus annis deſeruiet. Aduertendum tamen; quòd quandocunque facta fuerit anni reſtitutio ante 1600, ita oportet aureum numerum in Calendario accommodare, vt non peruertatur, neq; interrūpatur ordo aurei numeri, qui modo decurrit, vt ſi anni emendandi aureus erit numerus 6, oportet, vt āni poſt ipſum immediatè ſequentis ſit 7. quippè qui eſt vnus modus accomodandi aureum numerum ex ijs iam antea expoſitis. & hoc modo tabula erit perpetua. At quoniam ex dictis apparet ſępè fieri oportere aurei numeri in Calendario reſtitutionem, nempè in anno emendando, & in 1600; vt hoc euitemus, quandò determinabitur annus emendandus, tunc commodiſsimum eſſet, ſi duo Calendarij cum aureis numeris accomodati fuerint, quorum alter ab anno reſtituto vſq; ad 1600.

deſeruiet: alter verò à 1600 vſq; ad 1700. hoc enim modo ab anno reſtituto vſquè ad 1700 aureus numerus nulla alia indigebit correctione; tabellaq́ue nuper expoſita perpetua manebit; libriſq́; Eccleſiaſticis inſerta magnam viris Eccleſiaſticis afferet commoditatem. Siquidem abſq; alia operatione aureum numerum cuiuſlibet anni futuri ob oculos ſemper habebunt. exquibus alterum quin etiam exoritur commodum, meo quidem iudicio non parui pendendum; quòd, cùm quibuslibet 100 annis oporteat aureum numerum in Calendario reſtituere; certum erit, ipſum rectè ſuum officium prꝑſtiturum, nempè in oſtendendo die coniunctionum; nam, cùm ipſe ſpacio 100 annorum, quibus in Calendario eodem ſemper modo permaneret, non perficiat ſex integras conuerſiones, prima quidem lunatio ab vltima non differet niſi per horas circiter 8, quꝑ eſt tertia pars diei. rectè igitur hoc reſtitutionis progreſſu ſuo fungetur officio. Verùm huic determinationi poſſet quis facilè occurrere dicendo;

cùm

cùm vnoquoque 100 anno aureus numerus ſit ſemper 5, vt patet ex tabula nunc expoſita; videtur quòd huiuſmodi aureus numerus, 5 videlicet, non poterit rectè oſtendere omnes coniunctiones illorum annorum; ſed priorum duntaxat menſium, Ianuarij ſcilicet, & Februarij; propterea quòd, cùm in anno 100 ex ſua natura biſſextili à Februario vnus, iſque poſtremus dies auferatur, nempè 29; ab initio Martij vſq; ad finem anni luminarium coniunctiones non contingent ſecundùm diſpoſitionem aurei numeri, nimirùm vbi reperietur 5 in Calendario; ſed die ipſum immediatè ſequenti; vndè etiam eueniet, quia æquinoctium contingit poſt 29 Februarij, quòd ipſe numerus 5 non erit idoneus ad indicandam coniunctionem, nequè plenilunium, ex quo Paſcha elicitur; cui ſanè bifariàm ſatisfieri poterit. Primùm quidem reſpiciendo ad quandam Eccleſiæ conſuetudinem; ſiquidem clarè perſpicimus, quòd in inueniendis per aureum nume-

lium, quę menſe Martio contingunt, propter intercalationem diei 29. Februarij hę coniunctiones re vera vnius diei differentia mutant terminum ab aureo numero prępfixum. Cùm enim aureus numerus ſuam determinatam habeat in Calendario ſituationem, ob incrementum diei 29 Februarij, qui Calendario non eſt adſcriptus, menſe Martio coniunctiones non proprio, quo contingunt die, ſed ſequenti indicat. Quarè & ſi fuerit admiſſum, quòd ſingulis 100 annis aureus numerus 5 oſtendat luminarium congreſſus menſe Martio contingentes ad diem vnum anteriorem, quàm par ſit; hoc nihil refert; nam ſi Eccleſia quolibet quarto anno tolerat aureum numerum ad vnguem minimè ſatisfacientem in oſtendendis luminarium coniunctionibus, quæ propter intercalationem per diem anticipant; poterit quoquè quolibet anno 100. eiuſdem intercalationis omiſsione per diem poſponentes tolerare. Res verò aliter ſe habet; etenim ſi rectè conſideremus diſpoſitionem aurei numeri in Calendario

lendario deſcripti , inueniemus , quòd ſubtractio diei 29 Februarij ad inueniendos luminarium congreſſus menſe Martio contingentes, nullam poteſt diuerſitatem efficere; ita vt coniunctio ſequenti die contingat, eo nimirùm , quem oſtendit aureus numerus; cùm prçſertim motui Lunç in menſe Februarij in Calendario tribuantur dies 30. vt ſi coniunctio Februarij contingeret die 3, cui tribuitur 5 pro aureo numero , vt in Breuiarijs nuper reformatis apparet, cur ſequens coniunctio nõ erit die 5 Martij, in quo ſimiliter cadit aureus numerus 5 ? diuerſitas quidem contingit in additione diei 29 Februarij , non in eius ablatione; quemadmodum euenit omnibus alijs annis communibus : quòd ſi à Februario auferetur dies 28 , tunc rectè coniunctio Martij poſponeret vnum diem ; quoniam diſpoſitioni aurei numeri in Calendario ſituati integer dies deficeret; rectè igitur aureus numerus 5 in annis 100 factis iam communibus oportunam lu-

celebrando demonstrabit.

In his itaque inueniendis coniunctionibus has duas vias, easque planiores tentare volui, vt vnusquisque maiorem, quo ad fieri possit, commoditatem consequi valeat: mihique satis visum est, paucis admodùm, quinnimò vni soli huiusmodi negocium imponere, quàm omnibus. Si enim per ęquationum regulas coniunctiones ipsę inueniendę forent, omnibus fermè laborandum fuisset. Pręterea aureum numerum in Celendario altero, vel altero dictorum modorum acōmodare; cuiq; vel mediocriter erudito facillimum suadet. Hoc autem leuissimo negocio aptari posse, hinc colligere licet; quandoquidem in Breuiario nuper reformato paucis iam annis elapsis denuò acomodatus est aureus numerus secundùm motum, cursumq́; luminarium pręsentem, Hocq́; factum est absq; vllius molestia: & vnusquisque aureum numerum in Calendario rectè dispositum nullo incommodo adinuenit. Nollem tamen, vt in posterum aurei numeri restitutionem

centenis

centenis annis faciendam cuicunq; (nullo discrimine adhibito, ac pręcipuè impressoribus quibuscunq;) propria auctoritate acōmodare liceret. Sed hoc fieri auctoritate summis Pontificis; illiusque duntaxat id muneris foret, cui ab ipso Pontifice hoc demandatum fuisset; ita vt iuxta Calendarium huiusmodi auctoritate restitutum alij imprimerentur; neque hoc temerè; sed ea potissimùm de causa, vt nimirùm in vniuersa Ecclesia sanctum Pascha eodem die celebraretur. Nam ob meridianorum diuersitatem in populis Romę magis Orientalibus, magisq; Occidentalibus, aliqua oriri posset differentia; etenim si secundùm diuersos meridianos in Calendario collocatus fuisset aureus numerus, possent quidem ijdem numeri diuersis mensium diebus esse applicati; & ob id Calendarij sibi inuicem minimè responderent; atq; ideò ad Pascha inueniendum non inuicem consentirent. Quarè condecens erit, si aureus numerus in Calendario secundùm vniuersalis Matris Romanę Ecclesię meridia-

num fuerit accomodatus. Hocque Calendarium alijs pro exemplari deſeruiret; ita vt omnes appareant vniformiter impreſsi: & hac ratione nulla orietur differentia, ab omnibus enim, eodemque die Paſcha celebrabitur; ſicuti Romæ celebratur. Ad maiorem quinetiam facilitatem, mihi ſummoperè placeret, ſi in omnibus Calendarijs, tàm Breuiariorum, quàm Miſſalium, aliorumq; Eccleſiaſticorum librorum adſignarentur termini (quos vocant) Paſchales; qui oſtendunt primum plenilunium poſt vernum ęquinoctium; quippè qui etiam nigro colore imprimi ſunt ſoliti. Vt cognito plenilunio poſt diem 25 Martij contingenti, & ex littera Dominicali ipſum ſequenti, ſtatim appareat dies Paſchalis. Hacque ratione homines nihil nouitatis in Calendario reperient; & quomodo ex littera Dominicali, & aureo numero hactenus Paſcha inuenerunt, eodem quoque prorſus, quàmuis Calendarium reformatum receperint, abſque alia noua regula in

poſterum

posterum quoque sanctum Pascha inuenient.

Hęc habui exigere (optime Princeps) quæ tuæ amplitudini obsequendi gratia de Ecclesiastici Calendarij restitutione breuibus proponenda mihi visa sunt. Quæ omnia ad diem 25 Martij accomodanda duxi; quòd si expediens magis visum fuerit, æquinoctium relinquere, sicuti nunc reperitur; nè hominibus 14 dierum ablatione quippiam minus gratum contingat; nihilominus cuncta eadem, quæ hactenus ad hanc rem allata fuere, retineri poterunt; nè in posterum in eosdem incidamus errores; quę itidem æquinoctio, vt nunc reperitur, eodem prorsus modo deseruient. Qua in re congruum existimaui, non solùm sequi computum Ecclesiasticum, verùm etiam ijsdemmet vijs, quibus Ecclesia vsquè modò progressa est, omnia inuenire, & absoluere absque inuentione, & apparatu alicuius nouitatis; quæ quamuis nonnunquàm mentes nostras

alli-

allicere videatur, in hoc tamen negocio conuenientius mihi visum est communem Ecclesiasticam consuetudinem sequi; quàm ab ipsa, nè latum quidem vnguem recedere. Vale diù felix.



FINIS.